

IV.

Es rühmet sich an sich sein Wohlgebohren Haus;
 Des theuren Vaters Glück/die hochverdienten Brüder;
 Und was verschwiegen hat die Ehrfurcht dieser Lieder/
 Das breitet das Gerücht gedoppelt herrlich aus:
 So groß ist Eberhard an Stam/Geschlecht/Geblüte/
 Noch grösser durch sich selbst/und seines Prinken Güte.

V.


Du andrer Cyneas/und Restor deiner Zeit/
 Ist unsern Helikon vergönnet mehr zu reden/
 So will ein edles Glied sich dieses Orths entblöden/
 Und bringet sein Glück zu! in Unterthänigkeit/
 Denn/da wir dich so hoch/so herrlich sehen steigen/
 So konte freylich nicht so Mund als Feder schweigen?

VI.

Du folgest/dem du gleichst/dem würdigsten Schwerin/
 Als Ober-Präsident im Brandenburger Staate:
 Ob die Bescheidenheit gleich sehr dargegen bathe/
 Verbothe doch die Pflicht/sich weiter zu entziehen;
 Es fodert solch ein Amt ganz ungemeine Gaben/
 Drumb ist die Wahl gerecht/so dich hierzu erhaben.

VII.

Es müsse sich hierbey der schwere Sorgen-Stein
 In Gold und Diamant/der Schweiß in Perlen kehren!
 Auch/wenn die Kräfte sich/dem Lichte gleich/verzehren/
 So flösse Gottes Huld frisch Del des Lebens ein;
 Derselbe wolle dich/wie bey der Jugend Tagen/
 Auch in dem Alter noch/auf Adlers-Flügeln
 tragen!



ILLUSTRISSIMO

HEROI,

I O A N N I
 M A U R I T I O,
 COMITI NASSAVIÆ, &c.

C u m,

POST SUPREMAM TERRA MARIQUE BRASILIÆ
 IN OCCIDENTALI INDIA PRÆFECTURAM,
 FOEDERATORUM BELGARUM NOMINE GESTAM,
 DESIDERATISSIMUS PATRIÆ REDDERETUR.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina WILHELMI CHRISTIANI BOXII.

MDCCLXIV.

Illustrissimo Heroi

IOANNI MAURITIO,

Comiti Nassovia, &c.

CUM

ex America redux patria redderetur.

Nassovia in terris certissima gentis imago,
Musarum spes & gloria, Martis amor,
Cujus cum meritis noster quo vivitur orbis
Atque angusta nimis terra Batava foret;
Excessit Phœbi radios, quâque occidit ille
Virtuti titulos fixit vbique suæ.
Nunc redit, exoriturque suis: quos luce renata
Aspicit, & docto se docet ore loqui.
Victori attonitæ gratantur carmine Musæ,
Et Batavus Phœbum sentit adesse suum:
Utque, redux orbe occiduo, non occidat ipse
Communi pariter numina voce rogant.

DANIEL HEINSIUS

ex tempore scribebat.

A 2

ILLU-

ILLUSTRISSIMO
HEROI,
IOANNI MAURITIO,
COMITI NASSAVIÆ, &c.
CUM,

POST SUPREMAM TERRA MARIQUE BRASILÆ IN
OCCIDENTALI INDIA PRÆFECTURAM, FOEDERA-
TORUM BELGARUM NOMINE GESTAM, DESIDERA-
TISSIMUS PATRIÆ REDDERETUR.

Qui patriam Batavis patriæ modo redditus Heros

In quondam ignoto condidit orbe novam;

Inque novum veteris virtutes intulit orbis.

Cujus ab exemplo noscitur esse pius;

Cujus in Europam migravit America ductu;

Ac orbem in veteri credimus esse novum;

Ille novos super in veteri Nassavius orbe,

Inque novo veteres eminet orbe duces.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIVS.

Ad

Ad Illustrissimum Comitem,

MAVRITIVM NASSOVIVM,

Brasilia nuper Imperatorem, nunc verò reducem, cum in Ger-
maniam ad Matrem suam proficisceretur.

Hæcenus Hesperium currit tua fama per orbem,
Qua sistit festos Phœbus anhelus equos,

Ac peregrina tibi summittunt sidera fasces,
Virtutesque tuas Barbarus Indus amat:

Horret Iber, quoties sentit nova fulmina belli,

* Franciscusque suo turgidus ore fremit:

Horret Iber, quoties naturæ vincula frangens

Currit in obsequium ventus & unda tuum,

Et quoties Mauro maculatum sanguine pontum,

Disjectasque rates risit amica Tethys:

Agnoscit vestros dives Angola triumphos,

Et combusta suo sole Lōanda tremit.

Cuncta fidem superant: reduci tibi sidera plaudunt,

Vocibus & lætis Haga superba strepit.

Sola tuos vultus desiderat inclyta mater,

Et queritur tardè currere solis equos:

Sæpe tuos somno complecti visa lacertos,

Sæpe manum tangit, sed levis umbra fugit;

Ac totiens vestro narrantis pender ab ore,

Atque stupet gnati fata secunda sui.

Quin properas Generose Comes? quin spernis Aquarum

Effusos imbres, Æoliasque minas?

Absterget genitrix spumantes æquore vultus,

Ac lachrymis addet basia turgidulis,

Et subito vegetos iterum juvenescet in annos,

Exuet & senii tristia fila sui:

Non secus ac Phœbus post horrida tempora brumæ

Torpentem terram suscitatur igne novo,

Et redeunte Deo cunctis redit igneus ardor,

Sic reditu Vestro vivida mater erit.

ANTONIUS THYSIVS, J. C.

Illustrissimo, & Excellentissimo Heroi,

I. MAVRITIO NASSAVIÆ, &c.

Comiti, cum ex orbe Americano redux
Patriam Matremque repeteret.



Uos iterum, Dux summe, lares, quæ celsa Deorum
Regna petis? tantusne animis cælestibus ardor,
Nullis stare viis? nullo requiescere mundo?
Occiduas vidisse plagas, incognita Belgis
Sidera, turrifque illic struxisse penates,

Æthereas pulsasse domos, ac nomina vastis
Exæquasse polis, poterant, Dux inclyte, cursus
Bellorum tardare tuos, similemque parandi
Materiem præbere aliis; verum enthea mentis
Gloria perpetuas nescit contemnere laudes.
Ulterius ruit ista deûm Nassavica pubes
Cæsareumque decus: servant sibi sidera metam.
Sit terræ finitus honos. Tu singula transis,
Magne triumphator, debellatisque Philippis
Audis occidui felix victoria mundi.

Ecce repentinis iterum viridantia lauris
Tempora, ne faustis careat successibus orbis,
Eligeris Divos inter, medioque Potentum.
Consilio tua vota sonant, equitumque Magister
Maximus effulges Batavis in secula terris.
Si cui crede mihi, non hic tibi finis honorum,
Summe ducum; majora dii, majoribus ausis,
Victricique Tuæ promittunt omina dextræ.
Vesaliam ratione regis, fidique parentis
Voce salutaris: prima hæc encomia laudum.
Involvunt cumulos; animis arcana recondo
Quæ tanto confisa duci mens præscia volvit.

Interea, quo fata trahunt, felicibus Euris
Appropera, nihil unda ducem remoratur euntem,
Nil acres bellorum ausus, nihil aspera Iberi
Progenies. Tua Te Genitrix, Tua gloria dulcem
Exspectat sobolem; nimium nocuere calores

In-

Intensi, solare piam, Dux maxime, Matrem,
Et tibi quæ vitam dederat, vivacior in Te
Vivat, & in gnato Mater revirescat adulto.
Festina celerare viam, festinat anhela
Mater & extensis gnatum jam comprimit ulnis,
Exultansque suos dudum madefecit ocellos,
Tardantem incusans sobolem. Rursumque tuetur
Sollicita, atque novis macrescit fervida curis,
Sicque Tuas, Princeps, umbras compellat, & alto
Ore gemit, tristisque sonos hoc pectore plangit.

Inclyta progenies, thalami solatia prima,
Delicium cordis, quæ fors inimica ruentem
Lancinat, atque animam cura suffundit edaci?
Heu soboles, quam prima recurrit mortis imago,
Cum Batavi post terga lares ac regna jacerent,
Et procul occiduum solvisses vela per orbem.
Deserta genetrice tua! Quam pectora sæpe
Frigida pulsabam, quamque alta voce querelas
Mittebam superum in sedes, si forte dolores
Ignotis audire plagis per fata liceret!

Me miseram, quam sæpe exarsi scire repostas
Orbe vias, quibus aut astris terræ que maneres
Num Lunæ hæc facies, numq; hæc splenderet orbis
Gloria, & expansi lux formosissima cœli.

Incaustum. Tibi cuncta patent, Tu lætus in oris
Battavicus trans æquor ades, Matremque relinquis
Afflictam, nostræ nec curis tangeris ullis.
Gnate redi, duramq; in Matrem hanc exue mentem,
Et liceat coram redivivi cernere Patris
Ora Tui. Si ductor ovans mea vota requiris,
Et nostris Divum precibus mens victa movetur,
Hæc Tibi fatidicis pando præsagia verbis.

Æthera propitio (quis enim tardaret amores)
Numine, & afflatu spirarunt fata secuudo.
Mœnia, turrifque rates, sævosque Tyrannos
Subjicis, ac diris insultas hostibus ultor.
Proxime Diis ductor, crescit tua fama per Orbis
Atria, & expansi transit fastigia cœli,

A 4

Nec

Nec laudis stat meta tuæ, quâ Phœbus oberrat
 Hacque Tuus se tollit honos, cœloque refulges
 Stella micans, lateque ignoto notior orbe
 Se virtus, se vita probat, ridetque jocantem.
 Fortunæ faciem, & prudens temeraria spernit
 Iudicia insani populi, figitque triumphos
 In lingua, inque animis hominum, soloq; refranat
 Corpore præsentis tumidæ ludibria linguæ.
 Ipsa sibi virtus merces. Tibi numina Rector
 Hactenus adspirant lætis successibus ultro,
 Et Batavum calcare solum, post nubila ponti
 Tempora, concedunt. Dabitur propiore Deorum
 Sorte frui, Batavisque simul fulgescere terris,
 Inque Brabantinis lauros defigere glebis.
 Tu modo felici redeas in Belgica passu
 Imperia, Auriacisque offer nova præmia belli,
 Consilio, ferroque potens. Tuque ampla Deorum
 Progenies quæcunque Ducem comitaris ovantem
 Voto, atque ore fave. Comites suavissime Philti
 Tu sequeris, priscamque domum, matremque Ducissam
 Ore salutabis, nostri memor esse memento,
 Dum memor ipse Tui. Junxit Brasilia dextras,
 Vivat amicitiae decus inviolabile, quodque
 Occiduus dabat orbis, idem Germania vinculis
 Fulciat æternis. Domino mea vota reclude
 Sæpius, ac nostros, si quos mereamur, honores
 Pande lubens. Silene mihi Tua cognita virtus
 Prospera promittit, tecum dum Philti aulam
 Dirigit, unanimo conscendo sydera voto,
 Claraque Nassaviæ vivent encomia famæ.

F. PLANTE.

AD

AD EUNDEM ILLUSTRIS. HERO A.

IN laudes, Dux magne, tuas dum flumine largo
 Castalii properant latices, fontesque resolvunt;
 Dum calami reducem certant extollere, dextræ
 Amplecti, studiisque strepit gens tota canoris,
 Musa mihi, quamvis ægrè, stupefacta tot inter
 Conticuit. Quis te, quis enim, celeberrime vatum,
 Amstelii quo se jactant ut Apolline Delphi,
 Gratantem reditum pede non æquante sequatur,
 Nî faciat vitreis nomen temerarius undis?

Sed fuit hoc Belgæ. Reducem dum Belgica primum
 Excipit, atque sinus, mater velut altera, pandit,
 Officiis certat. Cui virtus serviit, illi
 Non malè pensatur. Veniunt tibi præmia laudum.
 Splendida, MAURITI, sed quovis judice tantum
 Nil supra meritum, posset quo scandere cœlum.
 Alcmenæ soboles iterum, cui nomina Colchi
 Submittant, jactet cui sese parcius Argo.
 Omnia senserunt Belgæ, votisque probant
 Unanimes. At nunc patriam dum cogitat Heros,
 Augustosque lares, & quondam pace beatos
 Nassoviæ montes, Divæ incunabula gentis,
 Surgite gratantes vatum gens enthea, si vos
 Ardor vester agit, nec longo pectora Marte,
 Et torpore senent. Phœbo non pulchrior ulla
 Materies: sumtis renoventur carmina plectris,
 Et porrecta novo succedant gaudia vultu.

Ille dies tibi festus erit, tibi semper honorus,
 O patria, ô Divûm sedes, lucique beati
 Nassoviæ, tantus patriis ubi sedibus heros
 Appellens, longi cupiet sarcire dolorem.
 Discessus, radiosque suæ distringere frontis.
 Hic patriæ supremus honor. Nec regia cepit
 Alcinoi, reducem Phrygiâ, nec regia Solis
 Laërtâ genitum: fuit aspera sola voluptas
 Neritos atque Ithacæ scopuli. Remoratur euntem
 Et nostrum nil usque ducem, non fœta triumphis

Bel-

Belgica, marmoreis non conspicienda columnis
Haga superba, novos vel quos ibi Vesta penates
Construxit, rutilos auro, nitidos vel ebano,
Aut ebore. Auriacus, cognati cura, Gradivus
Huic nollet quicquam sapiens opponere curæ:
Laudatur pietas, atque ipsa Vefalia cedit
Hic de jure suo; collati nuper honores
Concedunt, & Martis apex concedit equestris:
Nam patriæ speciosus amor. Nec segnius omnis
Te quoque, MAURITI, Divûm genus, incola terræ
Exspectat patriæ. Cernis, Dux inclyte, turba
Vt ruat, atque arctis stet condensata plateis?
Attonitoque gerat vultus ac ora juvenus?
Vt Segoduniades mittant ad compita matres,
Haud secus ac densis Romæ Vomitoria ludis?

Hic Niciam jurat reducem, dum Thesea dicit
Alter, & inferior fertur tua fama, Duilli.
Non majore redux applausu cernitur illo
Orbe Ligur. Vestræ communis gloria gentis,
Nassovii, crepero dare maxima fulmina bello,
Vltricesque manus. Crebris ea nomina fastis
Occurrunt, & vix surgunt de nomine vestro
Degeneres animæ. Fama hæc sacravit Adolphum.
Imperio, cunctos veluti sacravit Olympo.
Sed tibi vulgaris sordescit gloria famæ,
MAURITI, camposque petis, quos orbita laudis
Nunquam Nassoviæ tetigit. Non sufficit orbis
Vnus, & ignotis nomen notescit ab oris.

Hoc hospes civisque stupet. Jam flumine Siga
Liberiore fluit, fastum spernitque procacem.
Atque minas, Tiberine, tuas. Qui Nerea vastum
Sprevit, & insanæ spumas ruit Amphitrites,
Lusum Tibrin habet. Reditus solabitur iste,
Magne ducum, bis jam ficto quos gutture fama
Terruerat, vanæque nimis mendacia linguæ.

At tu victor ades, victor simul hostis & atræ
Invidiæ. Cupidam tandem complectere matrem,
Marris grande decus, spes maxima. Cernis ut ipsa,

Colla

Colla premens, oculis vix post divortia credat
Talia, vix animus capiat tot gaudia, nec mens
Fessa sibi constet. Quæ tot densata suorum
Funera, vix reditum dilecti pignoris æquo
Corde capit. Simplex nec pectora comprimit ignis,
Lætitia geminante calent; præsentia cernit
Pignora terna sibi, solatia certa senectæ,
Grandia fulcra domus. Nequeunt quos frangere dura,
Affectu ridente cadunt. Fortissime sed tu
Quo recreetur habes. Pendet narrantis ab ore
Dum genitrix, casus pandis terræque marique
Innumeros, coelique vices, faciemque locorum
Pingis, & occidui recitas fera nomina mundi,
Ipso dura sono, nec cuiquam audita fororum
Aonidum, quæ vix Cleio proferre potis sit
Amstelis, & nostris vix reddi commoda Musis.
Explorare tamen matrem juvat atque sorores
Egregias; & eis pulso pallore serenat
Frontem sueta Venus, quoties tu victor ab hoste
Diffugiente redis, tecum sudantque ruuntque,
Et tecum tumidi lustrant miracula ponti:
Vultu corda probant. Alia mox parte propinquus
Sanguis adest, spectare Ducem, conjungere dextras
Omnis amor. Thulen ultra, Calpenque Abylenque
Qui tulit heroæ generosa vocabula gentis,
Non optatus erit? Lodoici lumina cerne
Henrici, quantum vultu testatur amorem?
Quam longè curas à se jam spernit edaces,
Quas patriæ generavit amor, quas nubila spargunt
Tempora Teutoniæ. Juvat ire, & fortia corda,
Cognatosque videre duces, & jungere dextram,
Et varios miscere sales, quos grata susurro
Siga probes, leni reperas quos murmure Dilla,
Qui clarum laribus fecisti nomen avitis.

Fortunati amnes! quos hæc præsentia magnis
Antetulit fluviis, oculis quos Rhenus iniquis
Aspicit, & Vahali contermina littora Mosæ.
Gratia tanta viris, tam præstans usus in armis!

At

At vos, illustres animæ, tria fulmina belli,
 Martigenæ fratres, patriis impendite terris
 Otia, dum galeas glacies suspendit hiberna.
 Sit spatium requiesque animis. Generosior instat,
 In se qui rediit. Genitrix solatia poscit
 Ista, brevemque moram. Quis justè deneget illi,
 Quæ vitam lucemque dedit? Tum prode vires
 Tempus erit, totisque animis & corpore Martem.
 Integrare truce, cum mitia tempora veris,
 Cum Zephyri reparant bello terramque fretumque.
 Ingens virtutis vobis patet æquor, & ingens
 Area laudis adest. Patefecit dextera campos
 Auriaci, quo tu, MAURITI, ducere possis
 Cornipedem, & factis dictisque animare phalangem.
 Jam Morinûm gens tota timet, jam Wasia fossæ
 Di fidit, Salsâque nihil se tendere contra
 Captâ posse vider, Flandrique & Ganda remiscit,
 Dextrum nuda latus, lævum quoque nuda. Quid ultra
 Baticolis superest? Paucos requiescite menses
 Illustres animæ, patriæ matrique litate
 Et consanguineis spatium breve mobilis anni.
 Visere Nassoviæ nondum mihi rura cupitæ
 Fas est, sed votis sequar usque ac usque profundis,
 Et precibus. Patrias nullo discrimine terras
 Calcate, & Batavis iterum feliciter oris
 Munia commissi vobis ostendite Martis!
 Prospera nascentis vobis eat orbita Iani,
 Clausula prosperior! Votorum hæc summa, suasque
 Jungit tota preces, Batavûm quâ terra patescit,
 Nassoviæ quâ rura jacent. Sed cura Lycæum.
 Intima Nassovium mordet, quod, vita superstes
 Sit modò MAURITIO, prisco revirescet honore,
 Atque peregrinis iterum certabit Athenis.



G. CORVINUS.

21
 ORATIO FUNEBRIS
 Honori & Memoriae
 CELSISSIMÆ PRINCIPIS
BARBARÆ AGNETIS
Ducis Silesiæ Lignicensis ac Bregensis,
Conjugis Schaff-Gotschianæ &c.
AD ILLUSTRISSIMUM EJUS MARITUM.
 Auctore
MARTINO OPITIO.

Ann. M. DC. XXXI.

Postea verò quàm
 ILLUSTRISSIMA ATQUE EXCELLENTISSIMA COMES
 AC PRINCEPS VIRTUTUM,



AGNES,

Perantiquâ Illustr. Baronum
RACKENITZIORUM

Prosapia Oriunda,
 ILLUSTRISSIMI NECNON EXCELLENTISSIMI
 COMITIS AC HEROIS

DN. CHRISTOPHORI
LEOPOLDI SCHAFFGOTSCH,

Sacr. Rom. Imp. Semper-Liberi, De & in Kynast, Baronis Trachenberga,
Dynastiarum Greiffensteinii, Kynasti, Giersdorffii, & Bober-
Rohrsdorffii. Domini Hereditarii,

Sacra Cesar. Regiæq; Majestatis
 Consiliarii Sanctissimi & Camerarii, itemq; Regiæ Camerae per uni-
 versam Silesiam PRÆSIDIS inclutissimi, necnon utroq; in Du-
 catu Svidnicensi & Jauraviensi, Aulæ Judicio; Regio Præfecti Supremi
 Hereditarii,

CONJUNX DESIDERATISSIMA,
Pratislavia VI. Id. Februarii, velociter atq; feliciter excessit, &
Gryphorini XIII. Kal. Martii, familiaribus sepulchrâ illata est,
 Utriusque Memoriae servandæ gratiâ,
 Denuo edita,

Officio & Arc

CHRISTIANI EXNERI,
Frideberg. ad Quisum Siles.

LAUBÆ exscribat Joh. Gottfried Dehne, Ann. MDCCXXXII.